Philoso

Buszydłowski Ambrosii: Quaestio physica de anima sensitiva brutorum.

…uszydłowski Ambrosii

Quaestio physica de anima sensitiva brutorum.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO PHYSICA,

De Anima sensitiva brutorum.

Libro 2. Arist: de Anima cap: 2. tex: 23. & 7. Metaph: cap: 11. tex: 39.

DESUMPTA;



Sub Felicissimo Regimine

MAGNIFICI PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

acræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris, cclesiarũ Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. racov: PRÆPOSITI, Parochialis in Czerniechow CURATI, Contuernii Hierosolymitani & Scholarum Novodvorscianarum PROVISO-IS, Canonizationis B. JOANNIS CANTII PROCURATORIS, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarii CENSORIS, Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis

RECTORIS.



Per

M. AMBROSIUM BUSZYDŁOWSKI,

hilosophiæ DOCTOREM, Ejusdem ac Linguæ Gallicæ Ordinarium PROFESSO-REM, Collegam Minorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: CANONICUM.

Pro Loco in Collegio Majori obtinendo, publicè ad disputandum

n Peraugusto CC. DD. Theologorũ Lectorio

PROPOSITA.

Annô Domini 1757. Die 5ta Mensîs Martii.

QUÆSTIO PHYSICA.

De Anima ſenſitiva brutorum.

U. ANima ſenſitiva brutorũ, quæ in ſenſu Peripatetico Thomiſtico rectè definitur *Eſſe actus primus corporis Phyſici organici potentiâ vitam ſenſitivam habentis*; & quæ eſt de genere ſubſtantiæ; ſit entitativè immaterialis ſive Spiritualis, vel materialis & corporea? nec ne?

CONCLUSIO I.

ANima ſenſitiva brutorum in ſenſu Peripatetico Thomiſtico rectè definitur: eſt actus primus corporis Phyſici organici potentiâ vitam ſenſitivam habentis.

COROLLARIA.

I. DEfinitio Animæ ſenſitivæ brutorum allata eſt eſſentialis, ſive ſumatur genericè ſive ſpecificè.

II. Per definitionem Animæ ſupra allatam bruta differunt à corporibus inanimatis.

III. Definitio Animæ ſenſitivæ allata oſtendit quòd ſit actus primus nõ tantùm informativus & ſimpliciter conſtitutivus, ſed etiam quòd ſit primum & radicale principium operationum vitalium & conſequenter immanentium.

IV. Definitio dicta nõ eſt Animæ ſpeciei infimæ, ſed Animæ ſenſitivæ ut ſic.

V. Falſa eſt Carteſii definitio quòd forma ſubſtantialis brutorum ſive Anima nihil aliud eſt quàm Mechaniſmus, hoc eſt: certa organorũ, nervorum, ſangvinis, & ſpirituum modificatio, *ac per conſequens quòd ſtante Carteſianorum Mechaniſmo,* bruta ſint pura automata.

CONCLUSIO II.

ANima ſenſitiva brutorum eſt de genere ſubſtantiæ.

COROLLARIA.

I. ANima ſenſitiva brutorum eſt entitas incompleta.

II. Anima ſenſitiva non eſt entitas per ſe ſubſiſtens, ſed ſubſiſtit tantùm ratione totius.

III.

III. *Operationes Animæ sensitivæ nullatenus ostendunt per se eam posse subsistere.*

IV. *Falsa est opinio Carpophori ac ejus sequacium, quòd Animæ brutorū ceu entitativè Spirituales nihil actu de Materia involventes sint substantiæ completæ de se, id est ex natura sua aptæ subsistere extra omne corpus organicum, dummodò in statu separationis non desit concursus Dei conservativus.*

V. *Nec combinatio Atomorum, nec quædam subtilior ignea & spiritosa, quam Recentiores Epicurei ut Gassendus, Maignanus, ac alii Atomistæ vocant flammulam, vel oleū, aut spiritū, vel salem tenuissimum aut florem sanguinis, potest habere rationem substantiæ Animæ sensitivæ.*

CONCLUSIO III.

ANima sensitiva brutorum non est entitativè immaterialis sive Spiritualis.

COROLLARIA.

I. *ANima sensitiva nullatenus potest esse principium operationum Spiritualium.*

II. *Absurda est Carpophori opinio tenentis, quòd bruta sola perfecta Anima Spirituali à DEO sunt donata, & quod eadem Anima sensitiva essentialiter spectata sit substantia Spiritualis semper in actu cogitandi & intelligendi constituta, consequenter quòd Angeli, Animæ rationales & Animæ brutorum conveniant in eodem genere Spiritualitatis proximo univocè.*

III. *Falsò putat Carpophorus quòd motus elicitus Animæ etiam sensitivæ tam cognoscendi quàm appetendi sit Spiritualis.*

IV. *Admittere in sensu Boullier & Magalotti Animam brutorum sensitivam esse substantiā mediam inter Spiritualē & corpoream, eamq; juxta Carpophorum quàmvis secundùm infimum Spiritualitatis gradū spectatam esse Spiritualem; est contra S. Scripturam, Concilia, SS. Patres, consequenter contra sensum Catholicorum Philosophorum.*

V. *Erroneè putat Carpophorus favetq; hæresi Manichæorum & Gnosticorum tenendo, quòd bruta habeant intellectū esto valde obtusum, judicium, libertatem spontaneitatis, consequenter quòd ratiocinentur sive discurrant.*

CONCLUSIO IV.

ANima sensitiva brutorum est materialis & corporea.

COROLLARIA.

I. *REctè ex operationibus materialibus Animæ sensitivæ infertur eā esse materialem & corpoream.*

II. Fal-

II. *Falsa est Carpophori opinio quòd intellectiones sive cogitationes bru-torum non sunt materiales sed entitativè Spirituales.*

III. *Anima sensitiva brutorum educitur de potentia materiæ, ad quorum corruptionem corrumpitur; hinc falsò putat Carpophorus, quòd omnes Animæ brutorum fiant effectivè de novo per solam creationē, & destruantur præcisè per annihilationem.*

IV. *Absurda est opinio à Bougeantio quomodocunq; proposita, quòd dæmones instar Animarum rationalium corporibus brutorum conjuncti sive uniti, in illis instar Animæ motus omnes efficiunt ac operationes.*

V. *Opinio Wolfii negantis Animas brutorum esse materiales seu corporeas, consequenter dicentis eas esse incorruptibiles, est falsa.*

HINC ILLI,

Qui omnia in perfectione creavit
sit
LAUS, HONOR & GLORIA
in æternum.

Permissû
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.







